3

RAHO.

DE

CHOLERA-MORBO.

Digitized by Google

Digitized by Google

3

DE

CHOLERA-MORBO

OPUSCULUM

MEDICINAE CELEBRATISSIMO CONSILIO
PETROPOLENSI

JUDICATU MITTENDUM

PRO RESCRIPTIONE AD QUAESITA A MOSCHORUM
AUGUSTO CAESAREO IMPERIO PROPOSITA.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III

NEAPOLI
EX TIPOGRAPHIA TRANI.
MDCCCXXXI.

. . . : sed multo etiam magis in eo elaborandum esse, ut ejusmodi tantum proponantur theoremata, de quorum veritate per fideles observationes legitimumque ratiocinium, ... , liquido constet; atque adeo exulent, quaecunque incerta, dubia, fallacia, ex mera hypothesi ducta, certam parere scientiam nequeant; saltem pro talibus modo, qualia revera sunt, nec ultra pretium suum venditentur . . . . .

GAUBIUS *in Pathologiae Praefatione.*

MINISTERO E REAL SEGRETERIA DI STATO
DEGLI AFFARI INTERNI.

Essendosi SUA MAESTA' degnata di accordare al Dottore in Medicina D. VINCENZO RAHO il permesso di stampare il suo Trattato sul *Cholera-morbus*, scritto nell' idioma latino, e coll' aggiunta della traduzione italiana, nel REAL NOME glie lo partecipo per l'uso di risulta.

Napoli 17 Agosto 1831.

M. PIETRACATELLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Napoli 24 Agosto 1831

Vista la dimanda del Tipografo Antonio Trani, con la quale chiede di voler stampare l'opera intitolata : *Trattato del Cholera-morbus ec.* del Dottor D. Vincenzo Raho ;

Visto il favorevole parere del Regio Revisore Signor D. Andrea Parroco Mancinelli ;

Si permette, che l'indicata opera si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all'originale approvato.

IL PRESIDENTE
M. COLANGELO.

Pel Segretario Generale
L'Aggiunto — Antonio Coppola.

A S. E. R.

MONSIGNOR COLANGELO PRESIDENTE
DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE
ec. ec. ec.

Eccellentissimo Signore

Ho letto il Trattato latino ed italiano sul *Cholera-morbus* del Chiarissimo Signor Dottor D. Vincenzo Rao: non vi ho trovato alcuna cosa che ripugni alla Religione, nè ai dritti della Sovranità: anzi reputo quest'opera utilissima e per gli schiarimenti che dà dell' indole del male, e per le precauzioni che ne prescrive. Quindi son di avviso che l'E. V. possa accordare la licenza che si stampi.

Napoli 20 Agosto 1831.

Il Regio Revisore
Parroco — Andrea Mancinelli.

PREFAZIONE.

Una giusta moderazione mi ha tenuto sino al momento quasi fermo nelle mie determinazioni; a non pubblicare cioè il trattato sul cholera-morbus, *scritto per* L'IMPERIALE AUGUSTO GOVERNO RUSSO, *che da prima ragionevolmente ne diede tutto il valore, per aver dovuto sgraziatamente ammassare numerose vittime. E la stessa moderazione sarebbe stata sufficientissima a non rimuovermi punto, se l'ampia estensione del* cholera-morbus *dall'anno scorso da Mosca non minacciasse il suo flagello per quasi tutta l'Europa, sino a determinare* L'AUGUSTO NOSTRO SOVRANO *(D. G.) a misure oltremodo severe e provvide in pari tempo, onde preservarne i suoi amatissimi e fedelissimi sudditi. La stessa moderazione sarebbe stata sufficientissima altresì a non rimuovermi punto, se le insinuazioni di dotti e valenti amici, non*

mi avessero vivamente imposto il contrario. Nel considerar d'altronde, che quand' io impresi il travaglio sul cholera-morbus, *e quando così determinai verun bisogno richiedea il nostro bel suolo, come son sicuro, mercè* L'ALTISSIMO, *e le provvide ed incessanti cure di un* Re *tanto saggio, che niuno ne richiederà. Nel considerare ancora che sarebbe una criminosa infingardagine tacersi in sì luttuose circostanze, là dove tutt' il resto dell'Europa, emulando ne' mezzi di provvidenza, aguzza ed incoraggia l'ingegno di valentissimi suoi medici. Nel considerare che sarebbe del pari una criminosa infingardagine tacersi di una produzione ch' è di già sul limitar delle porte di Pietroburgo. Nel considerare in fine, che la pubblicazione di questa produzione per nulla potrà alterare il giudizio che sarà per emettersi dall'Illustre Consiglio di Medicina di Pietroburgo, mi son richiamato di buon grado dalle stesse mie determinazioni, cedendo così alle brame degli amici.*

E poichè le notizie sul cholera-morbus *sono divenute oramai oggetto di universale interesse, nel pubblicare il mio trattato tale quale fu inviato a Pietroburgo, ho voluto, per renderla universale almeno all'Italia, aggiugnervi la corrispondente traduzione Italiana, sforzandomi alla men trista, e per quanto la severità della scienza lo permette, di render quasi comune il linguaggio medico. Nel pubblicar dunque il mio travaglio nella duplice lingua, io non aspiro a gloria veruna individuale, comunque ardentissimamente aspirassi al sollievo dell'umanità, parte della quale tuttavia deplora sotto la crudeltà del morbo, grand'altra parte è sommamente spaventata ed atterrita; e comunque aspirassi altresì ardentissimamente all' onor della Nazione, la quale, sotto la più viva protezione dell'*AUGUSTO FERDINANDO *II. non occupa di certo l'ultimo posto nelle difficili imprese di Medicina.*

Castellammare 6 Agosto 1831.

Digitized by Google

ISAGOGICA LOCUTIO.

Cholera-morbum inter Orbis celebratissimos literis doctrinaque exculti, et ea perdifficili praesertim scientiarum parte, quae Medicinam constituit, Augusta Potestate, atque invitatu per omnem late Europam evulgatis, palamque factis, conscribere honorificentissimum est mihi, post tot lucubrationes tantasque virorum medica praestantissimorum doctrina, ut Hippocrates, Appur, Caelius Aurelianus, Dummet, Frank, Kissel, Macbride, Sydenham, et Tralles. Hic tantum honos naturali plenas dolenti humanitati porrigere manus muneri superadditus, vim roburque subsequentia explere dat mihi :

I.

Cholera-morbi naturam perspicue conscribere, ac singillatim edisserere.

II.

Causas morbi gignendi enumerare, seu aetiologiam statuere.

III.

Qua ratione cholera-morbus propagetur sedulo exponere.

IV.

An cholera-morbus sit contagiosus, experimentis deprehendere accuratis ac fide dignis diligenter demonstrare.

V.

Quaenam sunt remedia praeservativa, seu methodum prophylacticam exhibere.

VI.

Rationem, methodumque medendi denique, seu therapiam declarare.

Ego in totidem capita meam dividam lucubrationem, quae, quomodocumque futura, veniam a Magnis ac Illustribus Viris Petropolensem Consessum constituentibus Medicum, peto atque exposco, memorando l'

Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.

DE
CHOLERA-MORBO.

CAPUT I.

Cholera-morbi *naturam perspicue conscribere*, *ac singillatim edisserere.*

§. 1. Truculentissima et teterrima inter morbi diversissimas formas procul dubio est *cholera*. Hunc *morbum-cholera* a graeca voce etiamsi varii variis derivent modis, in gastrico omnes textu nihilominus pathologicam statuere conditionem. Quapropter a *chole* χολὴ derivant alii, quod *bilem* significat, a *cholas* χολὰς, quod *cavitates omnes hypochondriorum*, *eademque intestina* denotat, morbi nomen et genesim alii declarant; sed medicorum ab Hippocrate nullus dum adfuit doctrina ac eruditione tanta repletus, qui morbi naturam perspicue conscripserit, ac diligenter eam exhibuerit.

§. 2. Affectio autem illa acutissima, quae adversus hominum genus grassari solet cum con-

tinuo bilis vomitu molli nigricantis feci emulantis, ac alvi immani dejectione, cum doloribus atrocissimis ventriculi ac intestinorum *cholera-morbus* vocatur.

§. 3. Prodroma ejus symptomata, si adsint, sunt inquietudo, animus insigniter demissus, oculorum torpor, cibi fastidium, nausea, anorexia, sapor metallicus, amarus, et cum foeditatis sensu, ructus frequentes, plenitudo ac praecordiorum gravitas, sordes gastricae, sitis, et quandoque magna, dolores profundi, lancinantes, et vagi, cardialgiam dissimulantes, lingua sordida, venter inflatus et dolens, urinae vel supprimuntur, vel foetidissimae fluunt cum lateritia hypostasi, versicolore supernatante eis cuticula, et pulsus denique contracti, febriles, et irregulares.

§. 4. Dixi *prodroma ejus symptomata si adsint*, quoniam morbus hicce atrocissimus modo improviso, violenter, et de repente aggredi solet, et miserrimi aegri immaniter vomunt, et ex alvo dejiciunt, cum dolorum sursum ac deorsum atrocitate, oculi caliginosi et cavi fiunt, voce fere destituuntur, anguntur, intestina ardent dum algent extrema, manus tremunt, convulsionibus corripiuntur etiam ab alvo et intestino, animi deliquiis, singultu, et crura quoque inter se contrahuntur, pulsus fiunt magis

magisque contracti, capillares, filiformes, tremuli, irregulares, et irregulariter intermittentes, parvi, vel deficientes asphycticos delabuntur aegros, ex lecto adhuc moveri non possunt miserrimi, ora mortis pallor inficit, et Hippocratica facies denique in tanto impetu, tantaque vi bilem erumpente atram, acrem, et porraceam, et in tanto dolorum cruciatu vitam finire praenuntiat, quae, paucis diebus, et sepe sub uno eodemque die supremum explet, ut egomet plurie vidi.

§. 5. Cum morbus, quem describimus, haud immaniter grassatur, post nychthemeron remittit quandoque: symptomata hinc mitescunt aliquantulum, dolorum quoque ventriculi atrocitas ac intestinorum mitescit, sedantur aliquantisper denique, madente cute frigido ac viscido sudore, vomitus et alvi dejectiones. Recurrentibus inde accessibus, saeviunt symptomata frigore inchoantia, ac capitis temulentia, vires magis magisque prosternuntur, tendinis subsultu corripiuntur aegri, os, dentes, et lingua nigrescunt, et denique lypothimiae, vertigines, syncopes, et ipsa apoplexia sero etiam mortem afferunt.

§. 6. Symptomata morbum usqueadhuc specialiter designantia, *choleram humidam* ab Hippocrate sic dictam referunt, quoniam altera, quam ipse *siccam* nuncupavit, absque vomitu

et alvi dejectionibus incedit; sed immane quantum Hippocrates a veritate discrepaverit ex nostra symptomatologia in praecedenti exposita paragrapho liquido apparet, clariusque brevi apparebit, cum de cholerae natura disseram: hinc efficitur haud dari cholera-morbum sine vomitu et alvi dejectionibus, sive unicam cholerae speciem adesse, humidam nempe. Pariter ac a veritate discrepant alii, qui choleram in *legitimam* et in *spuriam*, seu in *apyrecticam* et in *febrilem* distinguere solent, et multi alii qui hunc dividunt morbum in *hypersthenicum* et *hyposthenicum*, quoniam hypersthenicus semper est morbus, constanterque febri stipatus.

§. 7. Quomodocumque symptomata descripta naturam et morbi formam designent, addam nihilo tamen minus alia, quibus characteres inflammationis sunt characteres praecipui morbi-cholera naturam constituentes. Et re quidem vera inter inflammationis characteres adest aestus intensus vel thermometro percipiendus, vel sensu solo, sive vel *realis* est, vel *ad sensum*; aestus qui, ingravescente inflammatione, ingravescit, et ea ratione, quae composita dicitur a sensu quo praeditae sunt partes inflammatae, et ab inflammationis stadio, ita ut si partes inflammatae acutissimo sunt praeditae sensu, et inflammatio ad gangraenam vergit, aestus inten-

sissimus fit. Inter inflammationis characteres adest praeterea dolor continuus, et nullo modo intermittens. Alius adest character, quo inflammatio a stimulis gignitur, et ad organi textum vitiandum, seu ad exitus multiplices constantissime vergit, quando non resolvitur. Inter inflammationis characteres adsunt quoque stadia quodam necessarii processus determinata spatio ab arte tantum compescenda, sed nunquam comprehendenda, et eo magis ad mortales exitus vergit inflammatio, quo rapidiora sunt stadia, quoque intensior ejus decursus. Morbosam extendere affectionem inflammationis certe alius est character. Inflammationi denique medetur remediis refrigerantibus, seu antiphlogistica methodo, et, resoluto morbo, sensus adfectis superest partibus acutus nimis.

§. 8. Quodsi vero inflammatio his generaliter et re ipsa stipatur symptomatibus, ratione ad morbi etymologiam habita, ad nostram definitionem, ad ejus hypotyposin et descriptionem, ad specialia vel pathognomonica denique symptomata quae exhibui, indoles et interna cholera-morbi natura in inflammatione partis inferioris nervorum magnorum sympathicorum reponenda, quae plexus quamplurimos, ganglia multiplicia, et infinita inextricabilem fila, implicatissimam, adeoque admirabilem nervosam

telam intextentia, tegmen et internam nervosam structuram intestinorum, et hepatis praesertim, constituit.

CAPUT II.

Causas cholera-morbi *gignendi*, *seu aetiologiam statuere.*

§. 9. Ut cholera-morbi natura, quam edidi, altius demonstretur ac clarius intelligatur, suam necesse est originem cognoscere, quae non datur nisi perspiciendis relationibus organismi ad semetipsum et ad externas res, quod quidam clarissimus Pathologus *momentum causale* dixit, quodque originis morbi cujusdam sufficientem continet rationem. Causale quatenus ergo momentum originis rationem morbi cujuslibet continet sufficientem, illud dividi in *praedisponentes* seu *proegumenas causas*, et in *occasionales* seu *procatarcticas* oportet. Caussae praedisponentes cholera-morbum efficientes sunt eaedem et omnes quae ad inflammationem viscerum abdomine comprehensorum disponunt, et praesertim sunt temperamentum cholericum vel biliosum, juvenilis aetas, et emphractica labes praegressorum reliquia morborum in gastrico textu, et maxime in hepatica compage, quae a rebus

externis facillime et validissime afficiuntur, adeoque potentiis patent morbificis.

§. 10. Caussae dein occasionales, quae cholera-morbum provocant, sunt edulia carnium in putredinem vergentium, ut quae ventriculo fermentationis exhibent putridae fomitem, digestionis organa mortifere laedentem, duodenum praesertim, a quo hinc inde celerrime ad hepar, et ad reliquum intestinum communicatur per ganglia et plexus semilunaria, per plexus stomachicos, hepaticos, mesentericos, et hypogastricos. Repetuntur caussae occasionales quoque ex animalium carnis esu, quae acuto vel chronico laboravere morbo, ex suillae etiam carnis esu male pastae, macrae, et aestivo praesertim mactatae tempore. Piscium pariter in putredinem tendentium esus, fluviatilium praesertim piscium, ut anguillarum, salitorum piscium, ovulorum piscium, hepatis squali catuli, mytilorum, sepiarum, locustarum, gammarorum et ostrearum comissatio cholera-morbum gignere possunt. Fungorum esus praeterea, leguminum abusus, cicerum maxime, caussas exhibent occasionales ad cholera-morbum gignendum, ut quae motus peristalticos, qui a ventriculo incipiunt et per totam intestinorum continuantur fistulam, inertes quaque versus quam maxime reddunt; moras contentorum longiores afferunt in ventriculo,

chymi, chylique, morasque longiores afferunt in intestinis excrementorum, hinc aër intercipitur, et, rarefacto, secretionem, digestionem, resorptionem, alvi excretionem retardat, ventriculus, intestina, et duodenum praesertim contrahuntur, ac spastico distrahuntur et distenduntur motu, torquentes et pungentes excitantur dolores, motus retrogadi violentissimi, citissimi, et convulsivi a pyloro vel duodeno incipientes, diaphragmatis, abdominis et oesophagi musculos in consensum per plexus et ganglia multiplicia ad anum trahentes usque, hinc ventriculi et intestini duodeni contenta per os cum impetu foras propelluntur, insimul cum immanibus per anum dejectionibus.

§. 11. Cholera-morbo aggrediuntur insuper qui pane vescuntur imperfecte cocto et male fermentato, pane ex farina tritici parato corrupti, et ustilagine venenati, rubigine, lolio temulento, et secali cornuto foedati; qui oleris albigine et melligine corruptis nutriuntur, et qui, inter oleras, caepas, porros, et allia immodico comedunt; qui immaturos manducant fructus, vel refrigerantes nimis, ut melones, cucumeres, et cucumeres citreos, ut quae graviores sistunt cibos, et maxime acrimonia peccantes, digestu adeo difficiles, succis scatentes in fermentationem quam maxime pronis, hinc flatus, et do-

lentissima tormina provocant, nervorum systema magnorum sympathicorum corripiunt, et distensiones producunt ad choleram usque. Aliquos cholera-morbo inter messores et agricolas Dauniae nostrae Apuliae affici vidi, qui, praeter caloris et frigoris subitaneas vicissitudines, de quibus infra, ex panis esu imperfecte fermentati, ex caeparum abusu, alliorum maxime, ex citreorum cucumerum comissatione aliam potissimam acceperunt causam.

§. 12. Praeter cibos, potulenta quoque cholera-morbum provocant; et imprimis cholera-morbo aggrediuntur qui stagnantes vel paludosas potant aquas; qui partibus aquas hauriunt peregrinis conspurcatas, et quo plus noxias contrahunt qualitates, eo magis noxiae sunt partes peregrinae aquis mistae, et eo facilius ad choleram provocandam. Qui fugientia vina deinde vel mutata bibunt; qui vinum, etiamsi merum, vorant, eoque sauciantur vel percutiuntur, ut potores, et qui cupro vel plumbo inquinata vina sorbent, quoniam tardius et malignius digerunt, doloribus anguntur alvinis, inflantur abdomine, in hepate lenta et chronica orditur inflammatio; denique cholera-morbo adoriuntur qui in potum quotidianum spiritum vini consumunt, ut fortissimus stimulus, qui viscerum indurationem, inflammatoriam seu sthenicam diathesim sistit, in

abdominalibus nervis praecipue conspicuam. Cerevisiae potus male paratae, recentis, aut non satis fermentatae, atque turbidae adhuc, fermentationis processus enim in ventriculo continuat, flatus quamplurimos carbonicos in stomacho et in intestinali canali, duodeno maxime, evolvit, et, aciditate sua, organorum digerentium nervos adgreditur, spasmum et dolores ventriculi et duodeni intestini producit, et cholerae denique causam praebet occasionalem. Hominem vidi inter alios nostratem (*Dominicum Cannillo*) quinquagesimum annum vitae suae attingentem, qui vita vivebat deside, et qui inter epulas et pocula vini cadum et concium vorabat, hic vomitu saepe saepius corripiebatur, cardialgia, colica flatulenta, dysuria, stranguria, eademque ischuria, et in hepate compages, et vasa illud adeuntia chronica et lenta corripuere inflammatione, ut hepatis moles et doloris sensus in dexteri hypochondrii regione exhibuere, donec tandem cholera aggressus fuit. Cholera evoluta, infimae notae medicus quidam morbi characterem in tertiana febri comitata, vel stipata statuit, *febris tertiana cholerica exitiosa* a Panarolo dicta, chininae sulfatis quocirca ingentem exhibuit dosim; tertia morbi die appellatus hinc fui consultu, sed incassum, quoniam de cholera-morbi extremis loqui necesse fuit.

§. 13. Purgantium drasticorum aut emeticorum ingestio summae activitatis ingenti dosi ac incauta adhibita manu choleram adhuc generare valet. Mulierem vidi (*Mariannam Grieco*) cholera extinctam post pulverum Frankii resolventium ingentem dosim incauta cujusdam Chirurgi manu adhibitam. Hominem vidi quoque (*Joseph Rubini*) cholera mori post repetitas et ingentes doses famigeratae medicinae *purgative* dictae a Le Roy. Eundem provocant morbum excretiones quamplurimae vel natura vel arte suppressae.

§. 14 Caussas pariter quae praebent occasionales ad cholera-morbum gignendum sunt tempus aestivum, vel aliud quodcunque magno aestuans fervore, repentina et subitanea frigoris calorisque atmosphaerica vicissitudo, instantanea corporis refrigeratio post aestuationem a crapula, a cursu quammaxime vehementi, ab immodica saltatione, ab insolatione, fervente Sirio, a laboribus improbis et diuturnis, iis maxime peractis exercitatis minime. Ab his vero evenit ut digestionis organa, quae cum cute, quam caloris frigorisque vicissitudines, et maxima solarium radiorum vis, directe afficiunt, in proximo commercio sunt, illico et prae aliis aggrediuntur. Hinc bilis, gastrici succi, enterici, pancreatici, maxime qui per ductus in duodenum colant varios, pungentissimi et accerrimi

fiunt, nervi magnorum dein sympathicorum celerrime inflammatione deprehenduntur, ingens inde stimulus simul et processus a duodeno per plexus et ganglia ad ventriculum propagatur, ut supra exhibui, et ad reliqua intestina non solum, verum etiam ad hepar, renes, vesicam urinariam, uterum, artus inferiores, et per supremam nervorum sympathicorum partem, ad diaphragma quoque, cor, caput, et ad omne corpus, donec tandem ad choleram, quocirca singultus, urinae suppressio, femorum tibiarumque spasmi, lypothimiae, vertigines, syncopes, sudores frigidi, et alia quamplurima symptomata colera-morbum designantia et enumerata derivantur.

§. 15. Paludosus et humidus aër noctium Indiarum occidentalium, praesertim in Augusti mensibus, Septembris, et Octobris, qui cum ferventissimo et aestuantissimo diei calore permutatur, caussas exhibet occasionales ad choleram gignendam. Angliae celebratissimus observator, et diuturna perscrutatione hinc medici quamplurimi edocti, omnes demonstravere calorem inter affectam jam aestatem et ineuntem autumnum eo magis aestuantem esse, quo plus humidus et paludosus est aër, hinc noxior, et in digestionis organa praecipue saeviens, cholera tenus. Quamobrem militum cohortes et phalanges,

quae castra habent paludosa et irrigatis posita pratis, quae, quum continuum diu noctuque iter properarent, frigidas nebulas cum urente permutant Phoebo, cholera vexantur. Pariter ac eadem ratione cholera insidiantur qui infima habitant loca aquis stativis, lacubusque cincta, et gravata paludibus, umiliores oras maritimas, et aestuantiora, ut incolae Americae meridionalis quorumdam locorum, Italiae et solorum aliorum quarumdam regionum, iisdem potentiis instructarum nocentibus, maxime si pluviae vicissim cum aestuante agunt calore, si fluminum inundationes humum obruunt, et si denique in sole siccantur paludes et stagna, flantibus Euro vel Euronoto.

§. 16. Vehementia animi pathemata ac perturbationes inter cholerae denique caussas enumeranda sunt mihi occasionales; generalis autem eorum actio in gastricum systema imprimis afficiendo consistit, nervos fortissime stimulando, mox per totum vasorum systema, gangliorum ope, diffunditur, in stomachum, et duodenum, tum etiam per plexus abdominales turbas excitat violentissimas in diaphragmate, in hepate, et in intestinis, biliosas praecipue secretiones et excretiones pervertendo, perturbando, et accelerando; qui ira ac indignatione maxime accenduntur, inter animi pathemata, has laedunt partes, hosce produnt effectus cholerae faventes.

CAPUT III.

Qua ratione cholera-morbus *propagetur sedulo exponere.*

§. 17. Cholera-morbi interiore exposita natura, charactere et forma solide firmatis, aeque ac caussis ejus rite rimatis seduloque investigatis, propagandi modus liquido fluit; morbi enim fomitem et vehiculum quo longe lateque diffunditur et propagatur momenta sistunt causalia. Praedisponentibus caussis ergo positis, illis quae occasionem praebent constitutis, cholera-morbus inde evolvitur, ut mox et infra clarissime exhibebitur. Et requidem vera, inter choleram et biliares morbos, gastro-hepaticas affectiones et gastro-entericas aliquid similis adest, quo cholera-morbus ratione non alia ab hisce differt affectionibus, nisi per intensionem et per gradus extensionem, per decursus ipsius quammaxime celeres et adeo vehementes. Similis aliquid adest per morbi definitionis genesin, per sedem vel substratum, per naturam et characterem ejus, per caussas, per symptomata, per typum, et per exitus denique, ita ut cholera fastigium et culmen morborum gastricorum pathologico dici potest jure, et consequens truculentissimus et teterrimus est morbus.

§. 18. Similis aliquid adest per morbi definitionis genesin, quoniam sive a chole κολή, sive a cholas κολάς quomodocumque morbi derivent nomen, bilem, hypochondria, et intestina comprehendunt omnes, hinc ad eundem substratum morbi figunt sedem magis minusve extensam. Inter choleram itaque et cardialgiam, et colicos dolores, et diarrhoeam, et dysenteriam, et lienteriam, et fluxus coeliacos, et volvulum, et febrem gastricam, et gastritem, et enteritem, et hepatitem, et tympaniten, et denique inter choleram et ipsam Tropicam flavam febrem similis aliquid adest, discrimen constituentibus tantum intensionis et extensionis affectionum gradibus, nec non celeritate eorum processus.

§. 19. Similis aliquid adest per naturam et morbi characterem, aestus enim mox realis, mox ad sensum plus vel minus intensus, potentiarum stimulantium generaliter conspiratio et admotio, ad exitus serius ocyus propensio, necessarii processus stadia quaedam certo determinata spatio ab arte compescenda solummodo, nonnunquam comprehendenda, processus extensio, methodus curandi denique antiphlogistica seu resolvens, proprietates haec sunt inflammationibus, generales haec sunt characteres cholerae constituta. Et requidem vera, cardialgia quando pertenditur ad colicos non solum tran-

sit dolores, ad diarrhoeam, et ad alios quos morbos enumeravi, sed cardialgia eadem eosdem comitatur morbos, eandemque choleram. Simili modo dolores colici, licet ad intestinum maxime sedem figunt colon, alia intestina quoque, ac pariter pleraque abdominalia iis cruciantur viscera, et quando non illico resolvuntur stercorum acervatorum dejectionibus, vel remediis spiritus flatusque extricantibus, vel aliis vermes necantibus, vel aliis quae stimula elidunt peregrina, vel denique quando dolores colici ab *haemorroïdali angeoidesi* vel *phleboidesi*, vel *haemormesi* exciti, haemorroïdum non resolvuntur fluxu, in dysenteriam, in tympaniten, in enteritem, in volvulum, et in ipsam abeunt choleram. Diuturna diarrhoea fluxum contingit coeliacum. Dysenteria doloribus stipatur colicis, dysenteria in tympaniten, in enteritem, in lienteriam, et biliosa maxime in febrem gastricam, in hepatitem, in Tropicam flavam febrem, et in ipsam choleram abit denique. Lienteria in dolores adhuc incidit colicos, et in eandem dysenteriam. Volvulus praeterea in enteritem, et tympanites in volvulum et in enteritem abeunt. Febris gastrica doloribus stipatur colicis, cardialgia, tenesmo, ventrisque inflatione. Febris gastrica hepatitem, gastritem, et enteritem quoque contingunt. Hepatitis tandem

maxime Tropica in gastritem, in dysenteriam biliosam, et adhuc in choleram celerrime transit.

§. 20. Similis aliquid adest per morbi caussas; si morbi enim e caussis componuntur occasionalibus et praedisponentibus, quilibet morbus produci non potest, nisi dispositione ad illum et caussa morbifica conspirantibus non solum, sed morbus quilibet, cum momentorum duorum causalium productum esset, aliquid continet specialis, aliquid adfinitatis vel exhibet harmoniae cum singulari ac individuo organismo, vel cum substrato cui sedem figit, quibus ad hunc vel ad illum pertinet ordinem, hoc vel illud designat genus, hanc vel illam determinat speciem. Hinc eaedem, quae biliares morbos, gastro-hepaticas affectiones, et gastro-entericas provocant, caussae, in plexus et ganglia, ventriculum, duodenum intestinum praesertim, hepar, et alia jam indicata organa ac systemata circumtexentia directae, choleram quoque excitant. Dum in Moschos cholera saeviebat, Galli, in Aegypto bellum gererent, dysenteria cruciabantur. Quemdam Architectum vidi annum agentem trigesimum aetatis, qui, post dapes, cum ostrearum ingentem devoraret quantitatem, continuo ac vehementi ventriculi dolore correptus fuit, hinc colici dolores umbilicalem regionem praeprimis occupantes, quaquaversum discurren-

tes, bilis vomitus initio acerrimae et prasinae, maxima ventris durities ac tensio, et cum inflatione immani cruciaverunt eum, mox stercus vomuit, et denique, enterite deprehenso, emisit spiritum. Cadaver hinc secui et ilei intestini partem illam praesertim inferioris circumvolutionis coecum involventis in gangraenam evasisse inveni. Hoc in aere incisi, et tabula cum parva historia, in secundo volumine mearum inserta est lectionum. (Lezioni Medico-Filosofico-Critiche. Volumi 3. Napoli 1826.) In nova Siponto quidam nautae, aestuante Julio, suillam comederunt carnem macram, et male pastam; ex illis unus mox tantum cholera correptus fuit, alii diarrhoea laboravere. Sarcinatorem denique nostratem nuperrime quoque vidi (*Joseph Giardino*) qui, cum messis tempore, indigentia impulsus summa, spicas legere, Arpos prope, infima rura aquis stativis et gravata paludibus, sibi constitueret, et cum sub diu illuc pernoctavisset, flava febri correptus fuit, et hinc ea extinctus. Medici quidam et Chirurgi inexperti valde, qui sarcinatorem aegrotantem viderunt paucas ante mortis horas morbi characterem et formam in ictero posuerunt tantum, et consequenter de vitae certitudine, de sanitateque alacriter recuperanda judicarunt, sed misserrimus, ut dixi, medica spe ante paullo nixus, moritur.

§. 21. Similis aliquid adest per symptomata morbi; si morbus quilibet enim aliquid specialis continet, aliquid adfinitatis vel harmoniae exhibet cum singulari ac individuo organismo vel substrato, cui sedem figit, organisationis vel substrati cujusdam interna mutatio, quae per morbum quemlibet efficitur, effectus profert diversos a sanitatis statu, abnormes evolvit functiones, mutata quoque exhibet vitalia phaenomena. Effectus itaque diversi, abnormes functiones, phaenomena mutata haec omnia *symptomata* a Pathologis dicuntur. Si igitur haec omnia symptomata constituunt morbi, similis aliquid adest inter hoc et morbos. Sed morbi sunt producti momentorum duorum causalium, ratione decomposita, similis adesse videtur quam maxime inter symptoma et causale momentum. Sed causale momentum idem est ac morbus; similis igitur adest inter symptoma denuo et morbos. Hinc fit quilibet morborum ordo, quodlibet genus, quaelibet species sua habet symptomata, ut caussae effectus. Et reapse morbi quos designavi ratione non alia inter sese differunt, nisi e symptomatum summa. Cardialgia doloribus vehementibus et continuis stipatur ventriculi, et vomitu tantum; cardialgia itaque a cholera differt per symptomatum extensionem et intensionem. Abdominales dolores colon intesti-

num occupantes, dolores constituunt colicos, et a cholera hinc differunt per symptomatum summam. Diarrhoea, fluxus coeliacus, et lienteria inter sese differunt per fluxus qualitatem, et a cholera distant quoque per symptomatum summam. Difficultas intestinorum maximum dysenteriae characterem sistit, et symptomatum extensio tantum discrimen cum cholera efficit. Volvulus a cholera differt per vomitus qualitatem, et per stercoris nullius per inferiora dejectionem. Tympanites a cholera discrepat quadantenus per alvi duritiem et per vomitus defectum, quapropter Hippocratem, cum tanta esset hos inter morbos similitudo, tympaniten *choleram siccam* nuncupasse videtur. Vomitus, dolores colici, cardialgia, ventris liquatio, et alvi durities sunt symptomata febrem comitantia gastricam et enteritem. Vomitus, cardialgia, et ventris inflatio gastritem comitantur etiam, hepatitem, et febrem flavam. Febris flava, hepatitis, gastritis, enteritis, et febris gastrica inter sese differunt per vomitus indolem et atrocitatem, per doloris intensionem et extensionem, et hinc a cholera distant per summam atque symptomatum gravitatem.

§. 22. Similis aliquid adest per morbi typum; si symptomata morbi enim similia sunt, eundem designare ordinem eorum decursus necesse

est; sed ordo, quo morbi simptomata per ejusdem morbi decursum sibi succedunt, morbi constituit typum, morborum igitur symptomata, quae eundem designant ordinem, eundem sistunt typum. Inter choleram hinc et morbos quos enumeravi per typum aliquid similis adest. Enimvero in decursus symptomatum continuitate cardialgia mox mitescit, mox ingravescit; dolores colici per breves intercapedines mox remittunt sese, mox immaniter recrudescunt; fluxus, dolores et tormina in lienteria, in diarrhoea, in dysenteria, et in fluxu coeliaco per intervalla crebrescunt et minuuntur, pariter ac crebrescunt et minuuntur dolores et vomitus in volvulo, in gastrite, in enterite, in febre gastrica, in hepatite, et in ipsa febre flava, saeviuntur immaniter et mitescunt aliquantulum dolores in tympanite, saeviuntur immaniter etiam, et aliquantisper mitescunt vomitus, fluxus, et dolores in cholera denique, ita ut haec ab hisce quadantenus differt morbis, per celeritatem symptomatum successionis, et per citissimam intercapedinem.

§. 23. Similis aliquid tandem adest per exitus morbi. Intestinorum gangraenam, coalitum, vel scirrhum ostendunt, qui doloribus periere colicis, pariter ac pancreatis ostendunt scirrhum vel lienis, et quamplurima gangraenosa farcta

in fellea vesica et in portarum vena. Cadaverum sectiones in diarrhoea, in lienteria, et in fluxu coeliaco meseraicarum glandularum et intestinalium maxime exibuere tumores, pariter ac mesenterii abscessus, et intestinorum ulcera. In gangraenam vertunt intestina post dysenteriam, et post dysenteriam biliosam vel Tropicam hepar, fellis vesiculam, et splen, ulcerata, sanie exesa, marcida et gangraenata invenerunt sectiones. Intestinorum gangraenam et sphacelum signat tympanites. Qui cadavera secuerunt praeterea gangraenam, ulcera, abscessus, et sphacelum post volvulum, enteritem, hepatitem, gastritem, febrem gastricam, et febrem flavam invenerunt. Gangraenam et sphacelum invenerunt in cadaveribus post choleram; et cholera quadantenus ab aliis differt comparatis morbis per exitus quam maxime celeres. Cadaver post choleram secui, et ventriculum maculis gangraenosis hinc inde consitum primum observavi, spisso latice scatentem teterrimi foetoris, et atro-viridis coloris. Duodenum deinde intestinum, in quo focus et sedes videtur esse violentissimi et horrendi morbi, gangraenatum attendi, et nigricante latice conspersum. Hepar atris consitum maculis quoque vidi, in concava maxime superficie. Bilis vesicula atra repleta materie, et amplior facta apparuit. Ductus biliferos relaxa-

tos, et choledochum canalem dilatum et a[illegible] conspexi. Intestina, tenuia praesertim, gangraena ad extremum anum usque protensa, foedata et diruta denique animadverti.

§. 24. Cum morbus quilibet momentorum duorum causalium productum esset, et cum causale momentum e causis compositum esset occasionalibus et praedisponentibus, tum caussae occasionales, tum praedisponentes ea ratione sunt ad morbum quem producunt, ut factores ad eorum productum, seu, mathematico loquendo more, morbus rationem servat e directa causarum occasionalium, et e directa praedisponentium compositam, ita ut cujuslibet morbi vehementia et gradus, seu pathometrus ad quem ascendit, aequalis constanter erit momentorum illorum producto, quod idem semper erit, causarum rationibus invertentibus, vel minimae potentiam dispositioni morbificam maximam, vel maximae minimam addendo dispositionem potentiae morbificae; hinc fit maxima vis erit morbi, ad maximumque ascendet gradum pathometrus, si utrumque causale momentum vim praebet altiorem. Cum haec tali essent modo, et cum similitudo inter choleram, et alios enumeratos tanta esset morbos, modus quo cholera propagatur communis est, idem ac omnes alii morbi pandemii, qui non per contagium diffunduntur.

§. 25. Si cholera-morbus haud per contagium propagatur strages tanta undenam, undenam per hunc morbum maxima caedes? Si morbus quilibet, quoniam momentorum duorum causalium productum est, aliquid specialis continet, aliquid adfinitatis vel harmoniae cum singulari ac individuo organismo vel substrato, cui sedem figit, exhibet, quamobrem ad hunc vel ad illum pertinet ordinem, hoc vel illud designat genus, hanc vel illam determinat speciem, a caussarum indole morbo character et singularis quoque tantum genius imprimuntur, nulla ratione habita ad aegrorum numerum, sive unum aggreditur hominem, sive plures. Hinc cholerae extensio, et late per gentem quamdam propagata ex morbosa caussa quadam communi super majorem individuorum numerum diffusa, est mihi repetenda, potius quam ex contagio. Et re quidem vera communis et generalis ad choleram gignendam est caussa, quae ab atmosphaerae mutationibus proveniunt, communes et generales sunt causae praeterea cholerae faventes, ut de aliis fuse enumeratis sileam, quas paludosus et humidus aër, infima loca aquis stativis, lacubusque cincta, et gravata paludibus, praebent. Pariter ac febres intermittentes vel simplices vel comitatae latius diffunduntur super magnum individuorum numerum per caussam

communem quam paludosa regio praebet, et feraciores fiunt et saeviores quo plus fervet aestas, quo plus percipitur inter frigus caloremque vicissitudinum discrimen, et quo plus repentinum accidit, et nihilo tamen minus febres intermittentes non sunt contagiosae. Febres quamplurimas intermittentes in Apulia vidi inter affectam jam aestatem et ineuntem autumnum; et maxime quando fervens aestas cruciat Appulos, et quando pluviae vicissim cum aestuante agunt calore, tunc in Augusti mensibus, Septembris, et Octobris febres saeviunt intermittentes, et intermittentes malignae et perniciosae. Cayannae incolae et accolae tetano immaniter et quotannis cruciantur aestivo praesertim tempore, interimque tamen tetanus haud per contagium propagatur. Pictonum colica magnum individuorum grassari solet numerum, et nihilominus non est contagiosa. Metallorum fossores et opifices, ut pictores, typothetae, figuli, et omnes qui plumbo utuntur, colica saturnina aggrediuntur, et colica saturnina per caussam communem, quam plumbum praebet, propagatur, non per contagium. Dum infantes aestivo dentiunt tempore dysenteria grassantur, et hujus dysenteriae causa in dentitione omnino invenitur. Incolae Lesinae lacus viscerum abdominalium tumore post diuturnas febres intermittentes, autumnales prae-

sertim, laborant, quamobrem fere omnes icterici et hydropici moriuntur, et tamen stragis tantae causa est communis. Dysenteria, quae Gallos tantum aggressa fuit in Aegypto, in aestuante atmosphaerae calore, et in ejus vicissitudinibus invenit causam. Communis tandem sunt causae aliorum pandemiorum morborum vel regioni alicui essentiales, vel recentes et accidentales. Si causa morbi truculenti cujuslibet communis itaque plus minusve extensa, minorem majoremve individuorum numerum excipit, morbi hujusdem caedes et strages rationem servant compositam e causarum extensionibus et e morbi atrocitate. Hisce ratione et fidis firmatis observationibus, nihil miratu choleram, truculentissimum morbum, e causa universali productam, et minime per contagium propagatam, tantos brevi et immaniter homines necasse.

CAPUT IV.

An cholera-morbus *sit contagiosus, experimentis deprehendere accuratis ac fide dignis diligenter demonstrare.*

§. 26. Quamvis perdifficile arduumque sit, pandemiis quibusdem grassantibus morbis, aequum servare, ac quosdam determinatos et cer-

tos constituere limites, quibus morbi, qui per contagium propagantur, ab iis tuto diducuntur, qui per communem diffunduntur caussam, nihilominus, iis quae exposui comparatis et perpensis, nec non iis quae ad contagii doctrinam spectant considerandis, aliquid certi elucebit, quo demonstratur cholera-morbum per caussam communem propagari, minime de individuo ad individuum diffundi.

§. 27. Quibusdam grassantibus morbis, iis exceptis, qui, aliquid mystico excernentes processu, et corpus sanum attingentes, similem efficiunt morbum, quod *contagium* constituit, ut variolae, pestis, syphilis, typhus, scarlatina, aliique morbi jamdiu contagiosi noti; vel e contra iis exceptis, qui ex manifestis constitutionalibus et communibus proveniunt caussis, Medicis primum, Magistratibus dein perdifficile est fixos inter unam aliamve morborum indolem stabilire limites, praesertim cum si morbus quidam aperte contagiosus per contagium propagaretur, ignoto ejus adventu, vel indeterminatis et multiplicibus vehiculis, inter ingentem individuorum numerum ea aggreditur, quae ab omni aegrorum contactu sive mediato, sive immediato separata a contagionibus immunia putantur, et tali modo morbus hicce a contagio aperte productus cum constitutionali morbo confundi

facillime potest, et revera confunditur dum progressus simulantur et finguntur. Evenit e contra, morbum quemdam alium e causis constitutionalibus et communibus productum, homines quamplurimos eodem invadere tempore, qui, cum antea inter sese communicarentur, contagio obnoxii putantur, et hinc per tactus latius super eos diffundi morbum, et hujusmodi morbus perspicue constitutionalis et communis cum contagioso confunditur. Hinc quanta lis, controversia quantaque, quammaxima difficultas, periculum magnum!

§. 28. In tanto enim rei discrimine, et in summa judicii difficultate adest ratio, accurata adsunt quoque experimenta et fide digna, quibus liquido constat choleram latius diffundi, et hinc a morbis contagiosis tuto diduci, per caussas constitutionales et communes. Ratione primum atque juratissimis experimentis jam demonstratum fuit inter choleram et biliares morbos, gastro-hepaticas affectiones, et gastro-entericas aliquid similis adesse, quo morbus ille ratione non alia ab his differt affectionibus, nisi per intensionem et extensionem gradus, per decursus ipsius quammaxime celeres et adeo vehementes, et hinc choleram fastigium et culmen signare morborum gastricorum. Demonstratum fuit quoque morbi cujusdam characterem non

mutari, sive unum invadat hominem, sive plures; non mutari de minimo ad maximum per gradus discrimen. Rationis praeterea et certa est fides facti choleram fere annualem esse inter Indos, et eos grassari dum aestuans aër, et ejus indoles uliginosa et depravata immaniter cruciat eos; et perniciosiorem esse in humidis regionibus, et in oris maritimis, quam in montibus; noxiorem esse versus finem aridae tempestatis, cum pluviae continuae regnant, quam dum aestus siccus dominatur; exitiosiorem esse quo plus percipitur inter frigus caloremque vicissitudinum discrimen, et quo celerius hoc evenit. Rationis et certa est fides facti Apuliam febribus quotannis grassari intermittentibus, et perniciosiores eas esse et feraciores quo plus aestuat aër, quo plus uliginosa ejus indoles et depravata cruciat eam, quo plus discriminis adest inter noctium frigus et diei ferventissimum calorem, quo copiosiores sunt pluviae, quae vicissim cum aestuante agunt calore; et e contra recurrens et annualis per septem annorum a 1821 ad 1827 siluit pandemia, quoniam aestas ad finem vergens, et autumnum, remittentibus imbribus, sicca fuere. Nec ad calidissimum anni tempus (et hic ingenii aciem Celebratissimi *Consilii Petropolensis* deprecor atque obsecro, quod in sanctitate judicii, et in

justitiae tantum favore sententiam feret). Nec ad calidissimum anni tempus, nec ad solam flagrantissimam aestatem hoc adstrictum esse debet, sed cum aër, jam noctu imprimis, perfrigesceret, et cum diei temperatura permutaretur, seu ad caeli vicissitudines. Mirum quid post hoc choleram ab Orientalibus Indiis in Europam transiisse, et Moschorum hinc Imperium pervasisse ad aestatis finem 1830 autumno vergentis, in illo eodem tempore, quo Gallicus exercitus tetra correptus fuit dysenteria cum ad Africae litus appulisset, in illo eodem tempore, quo Apulia teterrimis cruciata fuit febribus intermittentibus? Mirum quid post hoc bellicos choleram duos pervasisse exercitus Moschos et Polonos, et in eos immaniter saevire? Caussarum quas exhibui magnus nonne adest numerus praesenti jam cholerae faventes? Quis est medicorum, quin intelligat per communes et universales potius caussas super exercitus propagatum esse cholera-morbum, quam per contagium? Quaenam est ratio vel necessitas ad contagii vim confugendi, ut morbi explicaretur propagatio? Belligeri et improbi labores, et forsan annonae caritas in Polonia, animi pathemata, publicae calamitates, sub dio pernoctare, castra paludosa et irrigatis habere posita pratis, Vistilli inundationes post glaciei et nivium liquationes,

vapores putrescentes animales e militibus sauciatis evecti et in atmosphaera suspensi et haerentes, homines quamplurimi saucii, aegroti, exceptis nosocomiis, loco angusto, ad quem liber aëris accessus negatur, inclusi, nonne haec sunt multarum causarum complexus ad cholerae extinctu prope, et jam immaniter revolutae retionem reddendam sufficientem? Nonne haec totidem sunt causae communes exercitus grassantes, ipsamque Varsaviam? Quaenam est materia contagiosa, quodnam est productum animale charactere organico, et consequenter plastica imbutum indole, veri contagii essentia, per quae cholera propagatur?

